

Twelfth Labor: Hercules Goes to the Underworld

Aureīs pōmīs ad Eurystheum relātīs, ūnus labor relinquiēbātur, quī difficillimus duodecim labōrum erat. Nam Eurystheus Herculem trahere Cerberum iussit ex Orcō, Plūtōnis rēgnō, ex quō nēmō umquam redierat. Praetereā Cerberus mōnstrum erat, cui erant tria capita serpentibus saevīs cīncta. Herculēs tamen imperia rēgis Eurystheī perficere mātūrāvit. "Nūllum opus," sibi inquit, "Herculī difficile est!"

Itaque in Lacōniam iter fēcit. Hīc erat spēlunca quae aditum ad Orcum dedit. Auxiliō Mercuriī et Minervae Herculēs sine morā ad Orcum dēscendit et mox ad rīpam flūminis Stygis pervenērunt. Quod in hōc flūmine nūllus pōns erat, umbrae mortuōrum trānsvehēbantur ā Charonte quī cum parvā scaphā ad rīpam exspectābat. Herculēs nāvem statim cōnscendit, sed Charon propter magnum pondus Herculis scapham solvere nōlēbat. Tandem minīs Herculis territus Charon eum trāns flūmen trādūxit.

Postquam flūmen Stygem trānsiit, Herculēs ab Mercuriō et Minervā dēductus in sēdem Plūtōnis vēnit. Plūtō eum benīgnē excēpit, et facultātem quam ille petēbat libenter dedit. "Sed," inquit Plūtō, "necesse est Cerberum sine armīs capere et auferre, et posteā in Orcum redūcere." Statim Herculēs Cerberum nōn sine magnō perīculōprehendit et summō cum labōre ad urbem Eurystheī trāxit. Quō factō, Eurystheus maximē territus Herculem mōnstrum sine morā in Orcum redūcere iussit.

Sīc contrā omnium opīniōnem illī duodecim labōrēs quōs Eurystheus iusserat intrā duodecim annōs cōfecti sunt et Herculēs tandem servitūte līberātus magnō cum gaudiō ad urbem Thēbās rediit.